



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola LII. Ioannis Papae VIII. Ad Gvaiferivm Principem Salernitanvm.
Eiusdem argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA LI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PVLCHARIM PRÆFECTVRIVM.

Eiusdem argumenti.

Ioannes episcopus Pulchari præfeturio.

1. Cor. 9.

Si vere vtique magister militum pactum Sarracenorum proposuit rumpere, hortamur vt Traiectum cum inclyto socero tuo adeas, vbi quoque & nostra reperta præsentia, quidquid rationabiliter queritur, quidquid necessarium, seu possibile postulatur, gratantissime confessim admittet: sed & ampliora facere nullomodo recusabimus, vt omnes, secundum Apostolum, lucrifacere valeamus. In quo industria tua tanto sollicitius elaboret, quanto liquidius sibi per hoc cælestè præmium a Domino Deo tribui non ignorat. Alioquin aduersus eum, quæ digne possumus agere, indubitabiliter & indifferenter exercere, Christo propitio, nullatenus omittemus. Data i. v. Kalendas Maii, indictione x.

EPISTOLA LII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Eiusdem argumenti.

Ioannes episcopus Guaiferio principi Salernitano.

QVIA Neapolitanorum ducis legatos secundum ipsius & vestra scripta præstolati, nec contemplati sumus, iterato excellentiae tuæ scribere cogimur, vt illum a perfidis separatum, piis sanctæ matris ecclesiæ gremiis restituamus. In quo quia iam plurimum laborasti, industriam tuam item itemque laborare fine tenus exhortamur. Quod si iniquam colligationem statim dirumpere præparatur, cum hoc certissime scierimus, per nos metipos ad Traiectum properabimus, & hoc quod queritur, & quodve iam promisum est, etiam amplius libentissime largiemur, clariori dumtaxat certitudine, ac fidei veritate inter utramque partem composita; vbi quoque tuam sanctissimique Landulfi antistitis, & prædicti ducis, nec non & Pulcharis glo-

riosi præfecturii adesse præsentiam cupimus. Et ut agatur solertiam tuam satagere flagitamus. Quod si adeo idem dux secundum duritiam suam, & cor impoenitens thesau-^{Rom. 2.}
rizarat sibi iram in die iræ, vt aut protelare, aut penitus suæ ipsius & multorum salutis causam contemnere velit, & hoc ipsum statim cognoscere cupimus: quoniam nobis nec humanum, nec diuinum deficiet prorsus consilium & auxilium; quod plane reddet ei secundum opus suum, & secundum fructum adinventionum suarum
toto corde desiderant, in aduentu illius exultent: quia & omnipotens Deus blandus iustis, & terribilis appetet in-
iustis. Vestra itaque dilectissima caritas deuotissimam se super hoc nobis exhibeat, & quoisque vires suppeditant,
laborare non cesset, vt dum vestris hortatibus hæc nostra postulatio ad effectum peruererit; dignas vobis gratias referamus, & apud sanctos apostolos in orationibus nostris memoriam habeamus. Data IIII. Kalendas Iunii, in-
dictione x.

E P I S T O L A L III.

I O A N N I S P A P Æ V I I I.

AD ANSPERTVM ET ANTONIVM EPISCOPOS.

Vt Rauennam ad Synodum accedant; quod nisi parue-
rint, minatur eos se excommunicaturum.

*Ioannes episcopus Ansperto Mediolanensi archiepiscopo,
& Antonio episcopo Brixieni.*

QVIA diuersis ac multiplicibus ecclesias Dei nobis commissas incommodis perturbatas, rebusque propriis incunctanter priuatas, & earum antistitum honorem diminutum fore videmus; ipsarum, secundum Apostolum,^{2. Cor. 11.} solicitudine quotidiana compulsi, necessario rati sumus pro illarum statu, ac pristina redintegratione generalem, Deo fauente, Synodum celebrare: quam secundum anti-
quam consuetudinem cum Romæ agere debuissimus, non recusantes tanti laborem itineris; pro suauitate tamen ve-
nerabilium confratrum nostrorum episcoporum, quos in consortium nostrum literis missis asciuimus, octauum Kalendarum Iuliarum, Rauennæ, auxiliante Domino, eri-

Antiqua
confuetudo
Romæ Con-
cilia cele-
brandi.